



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

De Venerabili Eucharistiæ Sacramento Decisiones Theologico-Legales

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisionis L. Ad Octobris Casum Prudentialem. Argumentum. Petitur! utrum ad faciendam experientiam, an mulier patiens exstases, & mira loquens, communiter credita energumena, verè sit talis, vel ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94643](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94643)

- ubi notat, quod si materia, de qua lex fecit præceptum, sit necessaria, & multum ponderosa, obligat sub mortali. Alterum caput, propter quod defecto à prædictis Theologis, est, quia contrarium docuerunt antiquiores Canonistæ Bonifacius, Imola, Cardin. Zabarella, & Navarrus supra allegati; & adhærendum esse antiquis Doctoribus, potius quam modernis tradit Hostien, in cap. Unicon. § 1. & § 2. de Sacra Unct. Sylvest. Verb. Opinio sub n. 2. Et pluribus congestis Fagnanus in cap. Ne innitaris à n. 349. & seqq. De Constitut. Etiam si contra plurimos Auctores stet unus tantum, dummodo iste secum afferat evidentem rationem, ut ex Sanchez de Matrim. lib. 3. disp. 16. num. 4. arguit Sancius in Selectis disp. 26. n. 5. Vers. & favet.
- His stantibus, reassumendo casum propositum; & ejus resolutionem, dicendum venit, Monialem non accedentem ad Eucharisticam Communionem, nisi semel in anno, ex torpore, & mala consuetudine, peccare mortaliter ex rationibus sequentibus. Quia extat præceptum de communicando saltem semel in mense tum ex Regula, & Statutis Ordinum Regularium, tum ex Clem. Ne in agro. §. Sanè. De Statu Monach. 2. Quia d. Clement. Ne in agro, comprehendit etiam Moniales ex Card. Zabarella, & aliis Canonistis supracitatis. 3. Quia Moniales etiam subiectæ Episcopis, sicut gaudent Privilegio suorum Ordinum, sic eorundem statutis afficiuntur in iis, quæ ipsarum statui conveniunt, ex Lezana, & aliis supra. Quia Constitutiones Ordinum, & Clem. in agro. obligant ad Confessionem, & Communionem mensuram sub pena peccati mortalis, ex Navar. cap. 21. n. 59. Dicastillo, Hurtado, & aliis allegatis. 5. Quia Monialis omittens Communionem per integrum annum peccat etiam mortaliter ratione scandali, & ratione contemptus, ex S. Thom. Peyrin. Lezana, aliisque. Quia Concil. Trident. sess. 25. de Regul. cap. 10. quamvis dicat, Moniales admoneri de Communionem saltem mensuram, illud verbum non est de consilio, sed de præcepto ex DD. supra relatis, & Fagnano in cap. Qualiter 38. de Cler. resident. 7. Quia Communio mensuram in Monialibus dicitur de re gravi, concernente bonum tum particulare, tum commune ipsarum; ac religiositatem, & bonam famam Monasterii, ex Caramuele, Abbate, & Summa Angelica citatis. Et licet tum si foret Monialibus non communicare, nisi semel in anno, eorum Monasteria non essent domus religiosæ, sed castra militum. 8. Quia opinio modernorum Moralistarum dicentium, esse de consilio, & non de præcepto mensuram Communionem, est minus probabilis; tanquam destructiva exemplaritatis Sanctimonialium. 9. Quia debet esse discrimen inter vitam earum, & laicorum, cap. Denique dist. 4. Glossa cit. Clem. Ne in agro. §. Sanè. Verb. Mensibus. ibi: Propter religionis perfectionem aliquid debeat ad pensum sana institutionis adiacere. Immo si malè sentitur de laicis semel tantum in anno communicantibus cap. Seculares. dist. 1. Quid de Monialibus cogitandum? 10. Quia sicut peccat mortaliter infirmus, qui non vult lumere medicinam in gravi infirmitate. Mastr. in Theol. Mor. disp. 11. n. 34. ita Monialis respuens sanctam Communionem, quæ, ut ait Concil. Trid. de Euchar. sess. 13. cap. 2. Est antidotum, quo liberamur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus preservamur. 11. Quia quemadmodum inedia voluntaria abbreviare vitam corporalem, est
- peccatum mortale, Gobat in Quinario tract. 8. cap. 1. n. 32. Sanchez in Conc. Moral. lib. 5. cap. 1. dub. 33. Sic erit mortale peccatum abstinentia ab Eucharistia, per quam alitur vita spiritualis. Jo. 6. Qui manducat me, vivet propter me. 12. Quia negligens accipere Jubilæum universale missum à Papa, non potest esse sine culpa, nam negligentia est semper peccatum, & quia est prodigalitas quædam bonorum spiritualium, ac etiam quia turpis est pars, quæ non conformatur toti. Gobat in cit. Quinario tr. q. 119. n. 336. & in Theologia Experim. tract. 6. n. 299. Ergo culpabilis erit etiam Monialis negligens circa sanctam Communionem, privans se frequentibus Indulgentiis, etiam plenariis adinstar Jubilæorum, & non se conformans in hoc actu religionis suæ Communitati. 13. Quia peccat mortaliter, qui non adimplet Confessionem, & Communionem mensuram sibi à Confessario impositam in dispensatione impedimenti occulti ad contrahendum Matrimonium. Gobat d. tract. 8. in Quinar. cap. 37. à n. 222. & seqq. Igitur à simili peccabit mortaliter Religiosa non communicans semel in mense juxta Ordinis sui statuta, & juxta præceptum Juris Canonici in d. Clement. Ne in agro. §. Sanè. De Statu Monachorum. quam sub mortali obligare, docent etiam Vasquez, Dicastillo, & Azorius citati per eundem Gobat. d. cap. 37. n. 224. 14. Et tandem cum prædicta Monialis sit temperamenti melancholici, ex quo facile movetur ad tristitiam, & ad iracundiam, magnopere indiget Communionem frequenti, ut eo se salvari præsidio muniat ad omnes oppugnationes Demonis fortiter superandas, ut loquitur Trid. Concil. d. sess. 25. de Regular. cap. 10. Nam, ut docet Aristoteles in Mor. lib. 2. cap. 7. n. 11. melancholici, ut plurimum, sunt incontinentes. Et lib. 7. Ethic. cap. 14. num. 11. Quia atra bile eorum corpora mordentur, propterea intemperantes, & pravi evadunt.
- Quod si quis quærat, an peccet mortaliter monialis, si aliquo tantum mense omittat sacram Communionem ob improvisam animi perturbationem, qua forsitan invaditur? Respondeo in hoc casu non peccare, si coram Confessario, vel Abbatissa compareat, implorans licentiam pro ea vice non accedendi ad Convivium cæleste, donec tranquillitatem cordis reassumat, ut tenet Cardin. Zabarella in d. Clem. Ne in agro. §. Sanè n. 2. Et jure quidem; est enim opus discretionis in omni negotio. cap. Presentium i. qu. 5. cap. 1. de Offic. Custod. & monet Lezana in Summa tom. 6. ad Mare Magnum Carmelitar. num. 169. & mea opinio, quod Monialis non communicans peccet mortaliter, procedit in illa, quæ per plures menses, cum contumacia, abstinet à Communionem.

DECISIONIS L.

Ad Octobris Casum Prudentialem.

ARGUMENTUM.

Petitur, Utrum ad faciendam experientiam, an Mulier patiens ecstases, & mira loquens, communiter credita Energumena, verè sit talis, vel potius Lunatica, Epileptica, Saga, Maga, aut Pythonissa, licitum sit, eam petentem Eucharisticam Communionem fallere, porrigendo illi Hostiam

R

stiam

stiam non consecratam? Declaratur, qui sint Energumeni, Lycanthropi, Lunatici, Epileptici, Magi, Sagæ, Pythones; & quibus signis prædicti cognoscantur? Exponuntur causæ, quibus Deus permittit in hac vita, homines à Dæmonibus vexari? Et an dentur remedia naturalia ad fugandos Dæmones? Referuntur opinioniones Doctorum circa resolutionem casus. Narratur factum mirabile S. Philippi Nerii, ex consilio insignium Virorum pro experimento spiritus Venerandæ Virginis Ursulæ Benicassæ anno 1582. tempore Gregorii Papæ XIII.

SUMMARIU M.

- 1 Energumeni undè dicti?
- 2 Diabolus vexat homines spiritualiter, & corporaliter.
- 3 Lycanthropi sunt homines melancholia affecti.
- 4 Lunatici qui sint?
- 5 Lunaticos quare diabolus obsideat?
- 6 Epileptici qui sint? Et quid Epilepsia?
- 7 Epilepsia post annum 25. incurabilis.
- 8 Atcis ungula sanat Epilepticos?
- 9 Sanguis hominis decollati haustus an sanet Epilepticos?
- 10 Mahomerus erat Epilepticus, & obsessus à Diabolo.
- 11 Magia quid sit, & quotuplex?
- 12 Sage quæ sint?
- 13 Pythones qui dicantur? ac Pythonissa? numero 14.
- 15 Energumenos dari non est dubium.
- 16 Athei, & Nasuri aliqui Philosophi negant energumena.
- 17 Petrus Aponus Philosophus Patavinus laudatus, accusatus de heresi, absolutus.
- 18 Mulier Patavina melancholica loquebatur latino sermone.
- 19 Anima Defundorum an obsideant corpora viventium?
- 20 Energumenos veros dari est de fide, & num. 27.
- 21 Platonis error de notionibus congenitis in homine.
- 22 Idiomatico peregrino loquens, absque studio, vincitur esse energumenus.
- 23 Anima Purgatorii, ac etiam Beate aliquando apparent viventibus, sed non obsident eorum corpora.
- 24 Anacephaleosis quid sit?
- 25 Pacifici an liceat, ut pramoriens appareat Superstiti?
- 26 Dæmon quomodo possit stare in corpore hominis viventis; non autem in anima?
- 27 Energumeni verè possidentur à Dæmone.
- 28 Legio una Dæmonum quot Dæmones contineat?
- 29 Energumeni quibus signis cognoscantur essetales?
- 30 Monialis Novitiæ scitio, ut videretur energumena.
- 31 Dæmones ob quas causas permittantur obsidere homines?
- 32 Exorcismus quid sit?

- 33 Diabolus an expelli possit rebus naturalibus?
- 34 Hostiam non consecratam porrigere pro consecrata an licitum?
- 35 Exempla propostæ Hostia non consecrata tanquam consecrata.
- 36 Ursula Benicassæ exhibita Hostia non consecrata, ex consilio prudentum Virorum, ac S. Philippi Nerii.

CASUS PRUDENTIALIS.

Quod à prudentibus Parochis decidendum proponitur, est: Utrum ad faciendam experientiam, an mulier, patiens ecstases, & mira loquens, communiter credita energumena, verè sit à Dæmone possessa, an potius sit Lycanthropa, vel Lunatica, vel Epileptica, Maga, Saga, aut Pythonissa: licitum sit, eam, Eucharisticam Communionem perentem, fallere; porrigendo illi hostiam non consecratam?

Ad Ornatum hujus casus quatuor sunt præmittenda, & examinanda.

1 Qui sint Energumeni? Qui Lycanthropi? Qui Lunatici? Qui Epileptici? Qui magi? Quæ Saga, seu Striges? Et qui Pythones?

2 An dentur veri energumeni, & quibus signis cognoscantur?

3 Ob quas causas, à Deo permittatur Energumenismus?

4 An præter Exorcismos Ecclesia, dentur remedia naturalia, quibus liberentur Energumeni?

Quoad primum. Quamvis scriptum sit à Glossa in cap. Exorcista. dist. 23. quod Energumeni dicantur ab Erge, id est labor; & à menæ, id est defectus; quasi deficere videantur obsessi à Diabolo ob nimium laborem; verius est, energumenos denominari à voce *ἐνέργεια* quæ significat vexationem, seu agitationem; ideoque *ἐνεργημένοι* sunt homines vexati, & agitati à dæmonibus, qui propterea appellantur *ἐνεργηταί*, nam verè, & propriè *ἐνέργεια* est vexatio homini illata à Diabolo immediate, localiter intra corpus ejus existente, & operante, illudque ad tempus subigente, ut doctè advertit Gasp. Schottus in *Physica Curiosa* tom. 1. lib. 4. cap. 1. subdens, prædictam vexationem posse fieri dupliciter à Diabolo, spiritualiter scilicet, & corporaliter. Primo modo Diabolus vexat hominem per suggestiones malas ad cor, ut flagitia operetur: Et sic dicitur intrare spiritualiter in hominem; ut habetur apud S. Luc. cap. 22. num. 3. *Intravit autem Satanás in Judam, qui cognominabatur Iscariotes*; id est suggerendo illi, tradere Redemptorem Judæis, ut legitur apud S. Joan. cap. 13. n. 2. ibi: *Et cæna facta, cum Diabolus jam misisset in Cor, ut traderet eum Judas Simonis Iscariotes*. Altero modo Diabolus vexat homines corporaliter, sed & hoc dupliciter, vel ab extra, ipsum affligendo in corpore, ut fecit cum S. Job; & cum plurimis aliis Sanctis vel ab intra, quando dæmon invadendo hominem, & ejus corpus ingrediendo, eum vexat, & exagitat; & in hoc casu verè, & propriè homo obsessus à Diabolo, dicitur Energumenus, sive Arreptitius, Dæmoniæus, obsessus, seu infestus. Et contra non possunt dici Energumeni, qui vexantur à Diabolo exterius tantum, quales sunt maleficiati,

ficiat, dum diris morbis ob maleficia affliguntur: neque illi, contra quos malus spiritus aliquid præsumit attentare circa corpora ad extra; ut quando Redemptorem nostrum *assumpsit Diabolus in Sanctam Civitatem, & statuit eum super Pinnaculum Templi*. Matth. 4. 5. Quod verò ad *Lycanthropos*, hi verè, & propriè sunt homines melancholia correpti, & dicuntur à *Λύκος*, idest *Lupum*, & *ἄνθρωπος*, idest *conversionem*; quia qui afficiuntur in excessu atra bile, & symptomatibus melancholici agitantur, sibi videntur conversi in Lupos; & abhorrent ab hominum consortio; & de nocte transire per loca inculca affectant, & præcipuè circa sepulchra, ut docet Avicenna lib. 3. tr. 5. cap. 20. & differit eruditus inter Medicos Paulus Aegineta lib. 3. cap. 16. his verbis. *Qui lycanthropia detinentur, nocte domo egressi. Lupos in omnibus imitantur, & donec dies illucescat, circa defunctorum monumenta plerumque vagantur.* Unde testatur Hieron. Magius lib. 4. *Miscellan. Angl.* cognovisse quendam hoc morbo correptum, qui sæpè ab Augustinianis, aliisque ædituis in sepulchris dormiens inveniebatur; & qui mortuorum ossibus domum suam planè compleverat. Porro, etsi non omnes lycanthropici morbo laborantes, sint energumeni; neque absq; aliis signis debeant pro *Dæmoniacis* reputari; nihilominus de facili possunt esse à *Dæmone* obsessi, ut erant illi, de quibus scribit S. Matthæus cap. 8. n. 28. his verbis: *Cum venisset (JESUS) trans fretum in regionem Gerasenorum, occurrerunt ei duo habentes demonia, de monumentis exeuntes, sevi nimis, itant nemo posset transire per viam illam.* Et de hisdem loquuntur S. Lucas cap. 8. num. 26. & S. Marcus cap. 5. n. 1. Illi vero censentur Lunatici; qui singulis mensibus patiuntur mentis alienationem, potissimum deficiente Luna, ut notat Glossa in cap. *Omni die 11. de Consecr. dist. 5.* & licet possit esse morbus naturalis tantum, & ex mera infirmitate cerebri, quod cum sit humidissimum, ut dicit Aristoteles lib. de Somno, & Vigilia cap. 5. post medium, maximè, subijcitur operationi Lunæ; quæ ex sui proprietate habet movere humorem, & ideo ex hac causa hi vocantur Lunatici. Colleg. Compluten. tr. 1. de Cælo disp. 4. q. 6. n. 67. Frequenter tamen qui Lunatici sunt, etiam energumeni sunt; sive id contingat, quod diabolus possessor humores cerebri concitet, & turbet; sive quod inveniens morbum illum naturalem in corpore, inde sumat occasionem illud invadendi; utitur enim sæpè diabolus corporis dispositione, veluti occasione, ut notat Schotus in *Physic. Cur. d. lib. 3. cap. 10. §. 2.* Talis erat filius hominis, qui genuflexus ante Redemptorem nostrum, sic illum rogabat Matth. 17. 14. *Domine, Misere filio meo, quia Lunaticus est, & malè patitur.* Et increpavit illum JESUS, & exiit ab eo *Dæmonium*, & curatus est. Quam verò ob rem *Dæmon* Lunaticos obsideat, multas diversi Auctores afferunt causas. Orig. tract. 1. in Matth. D. Chrysost. Hom. 52. & D. Hieronym. in cap. 4. S. Matthæi, inter quas refert duas præcipuas S. Thom. 1. part. q. 115. art. 5. Unam, ut infamet Creaturam Dei, idest Lunam, quasi auctricem infirmitatum hominum; alteram, quia cum *Dæmon* non possit operari, nisi mediantibus naturalibus virtutibus, expectat augmenta, vel decremента Lunæ, tanquam tempora aptiora ad perturbandam phantasia hominis, & eum affligendum. *Epileptici* illi sunt, qui laborant eo morbo menstruo, quem Medici vocant *Epilepsiam, Morbum Comitialem, Cadu-*

Dost. Clericali Tom. I. Liber II.

eum, Sacrum, Herculeum, Magnum, seu Affectum puerilem. Est autem *Epilepsia* convulsio totius corporis, temporanea, cum privatione sensuum, & mentis. Et duplex est, una perfecta, in qua totum corpus agitur, & altera imperfecta, dum una tantum pars corporis subjacet convulsioni, nempe caput, brachia, tibia. Causam veram morbi Comitialis, seu *Epileptici* adhuc esse ignotam omnibus medicis opinatus est eximius in hac Urbe Patavina, & Lycoo Medicinæ Professor Joannes Fortis *Consil. Medic. tom. 1. cap. 40.* Scribit Galeñus lib. de *dist. Sympt. cap. 3.* Ab obstructione imperfecta ventriculorum cerebri *Epilepsiam* generari. Ipse verò Jo. an. Fortis subdit d. cap. 40. *Rarò, aut nunquam à causa obstruente; & frequentissimè, & ferè semper ab irritante provenire.* Quidquid sit de vera causa tantæ infirmitatis, procedit à Cerebro, ubi materia viscosa generatur, & dum discutitur, cadit in nervos, & contorquet patientem, qui ore spumat, dentibus stridet, & sensibus ferè semper exuitur. De hac ait Hippocrates *Aphorif. 7. sect. 5.* *Epilepsia ante pubertatem eveniens curabilis est: eadem verò post vigesimum quintum annum curationem non admittit.* In pueris infantibus generari hunc morbum notat Joan. Jonstonius, in *Idea Universæ Medicinæ Practicæ lib. 12. tit. 1. n. 13.* Vel à terrore, cujus occasiones omnes vitanda sunt: vel à lacte corrupto in ventriculo, & tunc vomitus est optimus. Vel à vermibus in intestinis se se moventibus, quorum ratio est habenda: Vel à difficili dentitione, quæ promovenda: vel à variolis, morbillis, febribus, quæ etiam sunt curanda: Vel à primario cerebri affectu, de quo supra, idem auctor inter remedia recenset *gemma Smaragdum, Lapidem in hirundinum ventriculis dissectis repertum, & ungulam Aleis auricule sinistra inditam.* Et quod ungula Aleis mirè proficiat comitiali morbo laborantibus, ex Medicorum, & Historiographorum auctoritate probat Schotus in *Physic. Curiosa lib. 8. cap. 1. §. 5.* ubi subdit, efficacior esse ungulam pedis posterioris dextri, sed & aliorum trium pedum eadem virtutem ungulas habere. Quod affirmat etiam Plinius lib. 8. cap. 15. relatus ab Andræa Cirino Clerico Regulari in *Opuscul. de Natura Animal. lib. 2. five de Venatione lib. 1. c. 43. n. 403.* Et meminit Aretius lib. 6. *Impres. 163. n. 6.* Porro famosum remedium ad *Epilepsiam* sanandam à vulgo constituitur haustus sanguinis scaturientis è venis hominis capite truncati, de quo testatur Layman. lib. 3. sect. 4. n. 3. & de quo ita scribit Gobat in *Quinario tr. 5. cap. 23. n. 153.* *Hunc Sanguinis haustum esse salutarem (Epileptici) est quidem opinio vulgi, non displicita Laymano: At duo Medicinæ Doctores ea super re à me consulti asseruerunt, eam esse meram persuasionem, refutatam non solum scripto publico, sed etiam recentissima experientia, exemplo hominis, quem unus illorum medicorum noverat, & qui poto sanguine fecerit omnia, quæ faciendæ præscribuntur, attamen absque opere pretio. Quidam etiam Carnifex medicina in paucis peritus, à me interrogatus, respondit: se quidem scire, fuisse haud semel haustum ea intentione ejusmodi sanguinem, sed absque effectu, quantum quidem ipse sciat.* Sed de his, obiter dictis, satis. Utrum verò *Epileptici* sint etiam energumeni? utique negandum venit, frequens est enim experientia infelicitum hominum utriusq; sexus hoc morbo laborantium; qui, periodis morbi decursus, & symptomati-

R 2

bus

bus superatis; cognoscuntur immunes à Diaboli infestatione. At aliquando quis est Epilepticus, ac etiam obfessus à Diabolo, quemadmodum ille, de quo ita narrat S. Marcus cap. 9. 17. *Magister, artuli filium meum ad te, habentem spiritum murtum, qui ubicumque eum apprehenderit, allidit illum, & spumat, & stridet dentibus, & arescit.* Utrumque morbum fuisse in Mahometo non est incredibile. Hunc enim Pseudopphetam, & Mahometismi Auctorem comitiali infirmitate fuisse detentum, habemus in Annalibus apud Emin. Card. Baronium Anno 630. n. 1. & 2. ac etiam à Diabolo vexatum; illumque Hæreticum, & Magum vocant Zonara tom. 3. & Paul. Diaconus lib. 18. *Histor.* ut notat Delrius *Disquisit. Magic. in Prologo.*

Pro Magorum autem noticia, sciendum est, 11 quod *Magia est ars, seu facultas, vi creata, & non supernaturali, quedam mira, & insolita efficiens, quorum ratio sensum, & communem hominum caput superat.* Est autem triplex, *Naturalis*, cujus mira operatio provenit à virtute per naturam insita rebus. *Artificialis*, quæ ex humana industria, & philosophiæ studio, mediis licitis exercetur. *Diabolica* quæ à Cacodæmonis malitia pendet, & cujus ope, & assistentia operatur mirabilia; ut declarat Delrius *Disquisit. Magic. lib. 1. c. 2.* ex cujus doctrina sequitur, eos esse dicendos Magos, qui initio pacto expulso, vel tacito cum Dæmone, ejus opera utuntur, vel ad maleficia patranda, vel mira exercenda, occulta, longinquavè revelanda; de quibus fuisse Scotus in *Physica Cur. lib. 1. cap. 16. & 17. & lib. 4. cap. 13.* ubi horrenda exempla in perniciem corporum, & animarum, fidem peverfis his hominibus præstantium.

Sagæ verò sunt pessimæ fœminæ, quæ pariter 12 commercium habent cum Dæmone, & ejus adjutorio patrant maleficia, & transferuntur corporaliter ad conventus nefarios, vel insidentes hircos, aut alteri fantastico animali, hoc est ipsi Dæmoni, corpus illius animalis assument, vel arundini, scoparumvè baculo, ut relatis pluribus Doctoribus, Theologis, Juristis, & Criminalistis comprobatur Scotus d. lib. 1. cap. 23. ubi plurimas historias de Sagis, & Scrigibus ponit.

Tandem *Pythones* illi habentur, qui edunt vaticinia Dæmonis ope. Hi autem sunt in triplici differentia. Alii habent Spiritus *Pythægon*, seu familiares, anulis, vitris, cistis, aliisve rebus inclusos, quos consulunt, & responsa ab illis accipiunt. Alii extrinsecus accedentem subinde, & sibi assistentem habent spiritum, cujus afflatu, aut suggestione divinant. Alii denique intra se habitantem, & per os, aut per pudenda loquentem, ac responsa sibi, aliisve dantem habent Dæmonem; ut plene probat Delrius *Disquisit. Magicar. lib. 4. cap. 2. quest. 6.* & Scotus in *Physica Cur. lib. 1. cap. 37. & lib. 4. cap. 11.* ubi eruditè demonstrat, Pythorum originem evenire ab Apolline Delphico, apud quem viri, seu mulieres in tripode sedentes, at divaricatis cruribus stantes, divinandi spiritu afflabantur, teste Plutarcho lib. de defect. Oracul. Strabone lib. 1. & Cicero. de Divinat. & vox tum ex ore, tum ex pudendis horum Pythorum prodibat, & ideo *ventriloqui* dicebantur, quod ad reprobandos horum impiorum hominum sectatores narrat S. Joan. Chrysostom. in Epist. 1. ad Corinth. Hom. 29. & se vidisse in quadam Pythonia testatur Cælius Rhodigin. lib. 8. cap. 10. Pythoniisam

fuisse muli rem illam, & à Dæmone obsessam, quæ evocavit Sauli Samuelem, ut habetur 1. Reg. 28. communior est sententia; certa autem de illa puella, de qua ita scribit S. Lucas in Act. Apostol. cap. 16. n. 16. *Factum est autem euntibus nobis ad orationem, puellam quandam habentem Spiritum Pythone obviare nobis, quæ quæstum magnum præstabat Dominis suis divinando.* Et infra: *Dolens autem Paulus, & conversus Spiritui, dixit: Præcipio tibi in nomine JESU CHRISTI exire ab ea, & exiit eadem hora.* Ubi ly. *Dolens*, ait Menochius lib. 2. cap. 18. n. 2. significat, tardio affectus, Diabolus enim, priusquam expelleretur ab Apostolo de puella Pythonia, ipsum, & socios summis laudibus commendabat, dicens: *Isti homines Servi Dei excelsi sunt, qui annuntiant vobis viam salutis: molestum est autem vobis viris prudentibus, se laudatos audire ab iis, à quibus sciunt odio haberi.*

Tandem illud est advertendum discrimen inter Pythones, & alios energumenos, quod illi voluntariè sint obfessi, isti verò coacti. Et hæc de primo præmissio.

Quò ad secundum præmissum, An verò dentur *Energumeni*: superfluum querere videtur; cum irrefragabiles habeamus auctoritates I. In Sacro 15 Evangelio circa Dæmoniacos, qui fuerunt liberati à Spiritibus immundis per CHRISTUM; ut habetur Sanct. Matth. cap. 8. Marc. 5. Luc. 8. Et quidem S. Matth. d. cap. 8. n. 16. ait: *Vespere autem facto, obtulerunt ei multos Dæmonia habentes; & eiciebat Spiritus verbo.* Et D. Marcus cap. 1. n. 32. *Vespere autem facto, cum occidisset Sol, asserabant ad eum omnes male habentes, & Dæmonia habentes; & erat omnis Civitas congregata ad januam.* Et curavit multos, qui vexabantur variis languoribus, & Dæmonia multa eiciebat. Testatur pariter S. Lucas cap. 8. n. 2. quod Christus Dominus, dum iter faciebat per Civitates, & Castella, prædicans, & evangelizans Regnum Dei; & duodecim cum illo; & mulieres aliquæ, quæ erant curata à Spiritibus malignis, & infirmitatibus: Maria, quæ vocatur Magdalena, de qua septem Dæmonia exierant; ultra plurimas specificas alias liberationes energumenorum. II. Quia Christus dederat Apostolis, aliisque discipulis suis potestatem ejiciendi Dæmonia; qua ipsi usi gaudentes dicebant: *Domine etiam Dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo.* Luc. 10. 17. Et in Actibus Apostolorum 5. 16. legimus de Divo Petro: *Concurrebat autem & multitudo vicinarum Civitatum Jerusalem, asserentes egros, & vexatos à Spiritibus immundis, qui curabantur omnes.* III. Quia concors est omnium Patrum, Conciliorum, ac Theologorum consensus, à Dæmonibus homines obsideri, & tot illustres Scriptores de hac re idem testantur, ut humanitatem omnem exuisse oporteat eum, qui fidem omnibus derogare vellet, sunt enim integri tractatus; nec non exempla plurima in vitis Sanctorum. IV. Quia illi, quos energumenos dicimus, tales, sæpè numero effectus edunt, qui non nisi ad Dæmones in illis existentes, atque agentes reduci possunt, cujusmodi sunt sermo linguæ antea planè ignotæ, revelatio rerum antea incognitarum, etiam absentium, & occultarum, motio, & translatio magnorum ponderum; & his similia, de quibus infra. Et V. Quia prædictis effectibus cum sæpè admisceantur blasphemix in Deum, mendacia, & contumeliæ in homines, necessarium est cognoscere eorum auctorem

Atorem esse Dæmonem; non autem Angelos bonos, vel ipsum Deum.

- 16 Nihilominus non esse superfluum investigationem apparet, non solum ob Atheos qui Deum, & Angelos, tam bonos, quam malos rerum natura eliminare coguntur; sed etiam ob nonnullos nimium natos Philosophos, qui morbum *hæzantia* negantes esse Dæmoniacum, illum naturalibus indispotionibus corporum adscribunt; & continent, humores atroces, & violentos extorquere melancholicis, maniacis, & phræneticis peregrinas linguas; asserentes, mentem hominis imbutam esse artibus ante illarum usum; & nostrum scire nihil aliud esse, quam reminisci. Ita Levinus Lemnius de *Occult. natur. mirac. lib. 2. cap. 2.* & noster Petrus de Apono Patavinus, de quo in una ex quatuor jannis Publici Palatii hujus Urbis Antenoræ hæc habetur inscriptio: *Petrus Aponus Patavinus, Philosophia, Medicinaque scientissimus, ob idque Conciliatoris cognomen adeptus; Astrologia verò adeo peritus, ut in Magia suspicionem incidere, falsoque de hæresi postulat; absolutus fuit.* Auctor inquam iste, in *Comment. 1. ad sect. 30. Problem. Aristot. in Problem. 2.* testatur ut refert Scotus in *Physic. Cur. lib. 4. c. 12. §. 3.* se multos vidisse, qui atra bile, seu melancholia purgata, cum antea peregrinis linguis loquerentur, & mira supra vires naturæ præstarent; & sine dubio pro Dæmoniacis haberentur, curati fuere, & sanæ menti restituti. Confirmat ex exemplo mulieris 18 Patavinæ illiteratissimæ, quæ dum melancholica agridudine detineretur, latino sermone quam decentissime loquebatur, postmodum verò expurgato vicioso illo humore, sanitate restituta, ne verbum quidem latini sermonis proferre noverat. Petrus Pomponatius *lib. 2. de Incarnat. c. 10. suppos. 6.* prædictos effectus linguarum in melancholicis attribuit astrorum influentiis, & ait se vidisse Mantuæ mulierem uxorem Sutoris, secundum diversâ idiomata loquentem, durante infirmitate, & à Medico sanitati restitutam, eò quod melancholiam curavit. Consimilia exempla ex Sirenio *lib. 9. de Fato* narrat Scotus *in d. §. 3.* Quo circa alii auctores potius provenire volunt prædictos effectus ab animabus defunctorum, quas intrare, & possidere posse corpora eorum, quos energumenos appellamus, astruunt. Ita Cælius Rhodigin. *lib. 2. cap. 13.* & hanc opinionem habuisse olim Judæos innuere videtur Joseph. Flav. *lib. 7. de bello Judaico cap. 33.* & S. Justin. martyr. *Apolog. 2.* Alii verò utrumque negantes, vel hominum deceptionibus, vel oculitissimis causis attribuunt; sed à Dæmonibus corpora hominum invadi, & obsideri non concedunt; tum quia anima rationalis est tota in corpore, & tota in qualibet parte corporis. Ergo non est ibi Dæmon, non enim potest esse simul in eodem loco cum anima; tum etiam quia Dæmones non possunt illabi animabus hominum, nec intra eas esse; cum hoc solius Dei sit; ergo nec possunt esse intra corpora, aut in ea illabi, nec admodum neque animæ Defunctorum intrare, aut possidere possunt corpora viventium.

- 20 Histandem minimè obstantibus, veritas est manifesta, & de fide, dari veros energumenos; à Dæmonibus obfessos in eis manentes, & operantes, ut ex Scriptura sacra probatum est supra; & ex testimonio SS. Patrum, Conciliorum, & Scriptorum. Et quo ad Levinus Lemnii assercionem, de rerum motionibus nobis congenitis, & ab humore melan-

cholico excitari peregrina idiomata ad reminiscenciam, respondetur; esse errorem Platonis, jamdudum confutatum à Tertulliano *lib. de Anima cap. 14.* ab Arnobio *lib. 2. contra Gentes;* à S. Tienæ *lib. 2. cap. 59. & 60.* & à S. Augustino *lib. 12. Civit. cap. 15.* ridiculum enim est, & absurdum dicere, dato & non concessio, quod essent in nobis rerum notiones congenitæ; eas excitari à melancholia; nam sequeretur, omnes arreptitios, & aliis morbis melancholicis laborantes loquilinguis peregrinis. Præterea notiones in mente hominis existentes, debent esse ordinatæ, ut quis ordinatè de rebus illis loquatur; at melancholia, & alii morbi, experientia teste, mentes infirmorum non ordinant, sed perturbant. Exemplis autem relatis à Petro Aponensi, & à Pomponatio respondet Theoph. Raynaudus in *Theolog. natur. d. 2. q. 1. art. 1.* nos non cogi fidem eis adhibere sine præde, & injuratis testibus; sed suppositis pro veris: vel mulieres illæ loquebantur latino sermone non bene, non expedite, non secundum regulas; & earum sermo proveniebat à quadam superficiali eruditione acquisita ex longo auditu scholarium, vel Doctorum latine loquentium, ut ego cognovi famulum quemdam, qui comitabatur juvenes nobiles ad scholas publicas, & ex eorum conversatione latinabatur satis bene. Pariter recordor, mulierem quamdam hic Patavii, quæ ingrediebatur publicum gymnasium semiphænetica, & scholaribus applaudentibus proferbat multas latinas sententias, sed cum erroribus grammaticis pluribus. Vel prædictarum mulierum idiomata peregrina erant castigata, atque perfectæ; tunc cur non est dicendum, fuisse Dæmonium in eis inhabitans tempore infirmitatis, cuius ope loquebantur; cessasse autem locutionem alienorum idiomatum ob discessum Dæmonis, completa purgatione? certum est enim, neque febrem, neque atram bilem, neque ullam aliam humoris cuiusvis corporei affectionem posse conferre promptam, ordinatam, ac stabilem, durante morbo, facultatem loquendi, & respondendi ad interrogata peregrino idiomate, quod ager prius non noverat. Igitur locutio, & responso aliena lingua à Dæmone nidulante in agro provenit; ut exemplis probat Raynaud. *d. art. 1.* & Scotus *d. lib. 4. cap. 12. §. 3.* ubi subdit rationem, ut scilicet sic homines decipiantur, credentes non à Dæmone, sed à seipsum idioma exterum haberi, vel ad alium malum finem à malo spiritu intentum. Quod autem locutiones prædictæ peregrinæ, aliæque miri effectus in energumenis proveniant ab astris, seu à planetis cælestibus, consultavit Origenes *tract. 4. in Matth.* est enim error manifestus; prout etiam, quod sint animæ Defunctorum reingressæ in corpora sic loquentium, vel mira operantium. Concedunt Theologi, animas beatas, aut in purgatorio, vel etiam in inferno detentas apparere aliquando viventibus, id Deo permittente ob aliquas justas causas, ut late probat Deltius *Disquis. magic. lib. 2. q. 26. per plures sect.* Thyraus de *Spirituum apparit. lib. 3. c. 11. & seqq.* & alii apud Sanchez. in *Decalog. lib. 2. c. 38. num. 23.* At negant easdem animas posse obsidere, invadere, & intrare corpora viventium; quod si spiritus obsidens, dicat; se esse animam alicujus defuncti, Dæmon est, qui mentitur, & cum mendacio id asserit. Abulens. in *Matth. cap. 8. quest. 124.* Deltius *post. lib. 6. disq. mag. Anacephalæsti* (id est recapitulatione, vel summaria repetitione dictorum) *monit. 10.* Sanchez *d. c. 38. n. 24.* Sæpè namque 24

Dæmones fiunt, se esse animas defunctorum, ut viventes in errorem inducant. S. Thom. 1. part. quest. 117. art. 4. ad 2. Sylvest. Verb. maleficium quest. 4. num. 2. ideoque non est absque culpa: saltem curiositatis, pacisci inter aliquos, ut præmoriens superstiti appareat, certiore eum de suo statu facturum: ob periculum illusionis Dæmoniacæ. Cirvelus De Superstit. p. 3. cap. 11. Delrius lib. 2. q. 26. sect. 7. & Sanchez d. lib. 2. in Decal. cap. 38. num. 25. Exemplum huiusmodi sponsonis refert Eminent. Card. Bar. ad ann. 411. num. 69. & Menoch, in Storeis part. 1. cap. 68. mirandum, non imitandum. Quo verò ad primam rationem illorum, qui negant energumensum, scilicet quia duo spiritus creati non possunt coexistere, & esse simul in uno, & eodem loco, respondetur, posse stare Dæmonem in homine vivente, quia anima hominis est in corpore, non ut in loco, sed ut forma in materia; diabolus autem in energumeno stat non per modum formæ vivificantis, sed tanquam in loco diffinitivè, exercendo vires omnes corporales illius energumeni ad motum localem pertinentes, ut doctè explicat Bart. Sybilla in Speculo peregrin. quest. Decad. 3. cap. 3. q. 2. ubi dat exemplum serpentis locuti ad Evam, & Ahinæ ad Balaam. Ad secundam verò rationem quod illapsus in hominem sit solius Dei, non autem spirituum creatorum, respondetur, procedere de illapsu in animam, non autem in corpus: Siquidem, cum anima rationalis sit simplex, & incorporea, non habens dimensiones quantitatis, nihil potest in ea esse, nisi illud, quod dat ei esse, & est in ea per virtutem suam, id est solus Deus. At in corpus etiam Dæmon potest illabi, & intrare propter subtilitatem naturæ suæ, penetrantis corpora sine ullo obstaculo; ut de facto illabuntur, & penetrant corpora energumenorum, quod ex S. August. de Eccl. dogm. c. 50. & alijs SS. Patribus demonstrant idem Sybilla d. decad. 3. cap. 3. quest. 4.

Concludendo igitur primam partem secundi nostri præmissi, dicendum est, verè dari energumenos, id est, verè Dæmones (Deo permittente) intrare, invadere, & obsidere corpora hominum, qui quidem Dæmones invadentes, & obsidentes esse possunt ex omnibus eorum choris, ordinibus, & classibus, quia omnibus æqua est malitia; æquum in homines odium, æquus eis nocendi ardor. Thyraus de Dæmoniacis cap. 12. Et non solum unus unus invadit hominē, sed sæpè duo ac plures; etiam ad legionem usque, ut ex S. Luca cap. 8. v. 30. (Una autem legio Dæmonum continet 6666, Spiritus, ut habetur in Hermete Theologico part. 3. tr. 2. de Angelis c. 3. Concl. 1. Vers. finem pag. 9. Et notat Hieron. à Basilica Petri in suis Ephemerid. sacris die 2. Januarii de Passione SS. Martyrum Sebastiani, & Alverii militum legionis Thebæ) Thyraus c. 23. & 14. & Scotus in Physic d. lib. 4. c. 5. ubi §. 2. subdit eisdem malos Spiritus posse invadere homines cujuscunque sexus, ætatis, & conditionis; affligendo, ex permissione Divina, corpora variis infirmitatibus, fascinationibus sensuum, & membrorum deturpationibus, de quibus eodem lib. 4. c. 6. varia exempla cumulat, vim magnam habentia, si à Parochis lecta, & indita suis plebibus fuissent, excitandi timorem Dei, & observantiam Divinorum mandatorum. Porro tam savi, & diri ergastuli non possunt privare animas hominum, quos obsident, Theologicis, alijsve infulis virtutibus, nec eos vexare, nisi quantum Deus permittit.

Quo verò ad secundam partem secundi propositi

præmissi, signa ad cognoscendum energumenos alia sunt probabilia, alia incerta. Probabilia sunt occultorum revelatio, linguarum Peregrinarum, quas infirmus non didicerit, locutio; scientia legendi, scribendi, cantandi, aut aliarum artium, quas non noverat; discursus de rebus altissimis; cognitio futurorum, & absentium; sublevatio magnorum ponderum; ingens robur in rumpendis vinculis; corporis energumenici admirabile pondus ejusdemque rigor inflexibilitas, aut immobilitas magna voracitas, & bibacitas, summa celeritas, & agilitas in currendo, & saltando, atque his similia. Dicuntur probabilia hæc signa ad judicandos energumenos esse illos, à quibus talia emanant, quia cum superent humanam scientiam, & naturalem facultatem; & nullum ad sit, signū illa esse à Deo, vel ab Angelis sanctis, probabiliter inferunt, provenire à Dæmone latente, & inhabitante in ipso energumeno. Latè Scotus in Physicæ cit. lib. 4. cap. 9. Signa autem incerta sunt barbara, & incondita voces, clamores, & ullulatus belluini; membrorum defectio, alteratio, contortio; Tumor pectoris, gutturis, ac etiam inquietatio, & aversio à rebus sacris, sanctis, & benedictis, aliaque plurima congesta per Zachariam Vicecomitem in Complem. exorcist. p. 1. & dicuntur signa incerta, quia etiam frequenter exerceantur à veris energumenis, aliquando tamen prodeunt à non energumenis, vel quia ipsi ex apprehensione fixa se tales esse credunt, qualis erat matrona illa, de qua Scotus d. lib. 4. cap. 9. quæ cum tangeretur communi clavi ferrea credens esse lipsanum aliquod sacrum, clamores magnos emittebat; vel quia simulant, & volunt tales ab alijs reputari, præcipuè mulieres, quarum aliqua exempla narrat idem Scotus d. lib. 4. c. 9. & jam pluribus ab hinc annis mihi evenit circa quamdam puellam, Religionis austerae habitum indutam; quam cum peniteret illius vitæ, ita bene sibi intumescere pectus, & guttur faciebat, ut Moniales eam crederent energumenam; at ego hortatus illam, mihi exponere veritatem, falsa fuit, id operari, ad exeundum à Monasterio, quod ego statim, dexterritate convenienti, exequi feci; & deinde perfecta sanitate posita fuit. In his igitur signis prudentia magna opus est, quia Prævū est cor hominis, & inservabile. Jerem. 17. 9. Et Brevis omnis malitia super malitiā mulieris. Eccl. 25.

Quo ad tertium præmissum, querentibus quas ob causas permissum sit Dæmonibus intrare corpora hominum, eos obsidere, & vexare; utique respondendum est cum illis verbis Apostoli, O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ DEI: quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus? Rom. 11. arcanum est enim, & à nobis imperferutabile; unde S. Hieron. in epist. ad Paulam de dormitione Blesilla ait. inscrutabili judicio Dei relinquendum, quod bimuli, trimulivè, & ubera materna lactantes à Dæmonio corripantur. Ceterum ob quatuor præcipuè causas permittit à Deo, homines invadi, & à Dæmonio obsideri constat. Prima est ob gravia scelera peccodum homines patrata: hinc Saulē spiritus malus arripiebat, quia ipse furebat in Davidem, querens ipsum occidere 1. Reg. 15. S. Mariam Magdalenam obsederant septem dæmonia, dum erat peccatrix. Marc. ult. 9. Apostolus tradidit Sathanæ Corinthiū illum gravi luxuria rerum 1. Cor. 5. 4. In vitis Sanctorum frequentia habentur exempla invasionum huiusmodi ob perjuriam, calumnias, & injustas in servos Dei cædes à perversis patratas. Secunda causa est peccatum veniale, quod deducitur ex Cassiano Collat. 7. c. 27. de Abbate Moyse, qui possessus fuit à

fuit à Diabolo propter impatientiam, & durum prolatum verbum. Et ex S. Gregorio *lib. 2. Dialog. cap. 1.* ubi quædam Virgo energumena evasit ob levem gulam; & ex vita S. Bernardi *lib. 2. cap. 1.* ubi quidam fuit à Dæmone obsessus, quia eum reperit distractum in oratione. Tertia est maledictio à genitoribus prolata in filios; idè legitur in vita Zenonis Martyris apud Surium *die 25. Maii*, cum mater febrienti filio poculum aliquoties præbisset; nec filius petere desisteret, impatientia victa, eidem iterum poculum offerendo imprecata est Dæmonium. & statim obsessus ac male fuit vexatus. Quarta tandem est causa, ut discamus, præter corpora, & animas nostras esse alios spiritus, quod olim Saducæi, & nunc Athei negant; ac erudiamur, quam miserum sit, Dæmonis servituti se per peccatum subijcere; & qualem is tyrannidem exercebit in inferno, qui tam diris modis eos vexat in hac vita.

Quo ad quartum Præmissum. Certum est in Ecclesia Catholica institutos esse exorcismos ad pellendos Dæmones à corporibus energumenorum. Est autem Exorcismus, ut definit *Isidorus de Eccles. offic. cap. 20.* sermo increpationis contra spiritum immundum. Sive ut scribit *Quartus de Benedict. tit. 1. sect. 3. dub. 1.* Exorcismus est adjuratio imperativa, qua Dæmones coguntur exire de corporibus obsessis, invocato Divino nomine, vel adhibitis rebus sacris. Utrum verò dentur res naturales habentes vim eisdem impellendi; nonnullis Doctoribus visum est dari, videlicet lapides, radices, & herbas, inter quas Rutam, Salviam, Anethum, Fœniculum, Allium, Verbenam, aliasque plurimas congestas à Scoto in *d. Physica Curiosa lib. 4. cap. 15. §. 2.* ubi addit, etiam iussibus Dæmones expelli, exemplo Tobæ, qui fumo jecoris, & cordis piscis fugavit Dæmonem ex adibus sacre sponsæ suæ; ut habetur *Tob. cap. 8.* & docet Mengius in *Flagell. demon. ex. 3. 4. & 6.* Caterum nulla res sensibilis, atque corporea, atque adeo neque herba, radices, lapides, odores, suffitus habent vim physicam, ac naturalem, directè, & per se Dæmonem expellendi, ut docent S. Thom. in *4. dist. 7. art. ult. & in cap. 4. Job. lect. 3.* Abulenti in *1. Reg. cap. 16. quæst. 46.* Delrius *disquis. Mag. q. 30. sect. 3.* Theophil. Raynaud. in *Theolog. naturali distinct. 2. art. 2. num. 53.* & Zacchias in *quæst. Medicoleg. lib. 4. tit. 1. q. 5. num. 25.* Indirectè tamen res prædictæ possunt expellere dæmones, quatenus hi innotantur complexioni infirmæ, vel humoribus commotis in homine, præsertim atræ bili, & sanguini copioso; idcirco cum plures herba, radices, suffitus, ac similia humores hominum variè cieant, ac temperent, faciunt quoque, ut dæmones abeant, & recedant à corporibus divexatis, non cogendo, sed causando, ut correctis malis humoribus fugiant infernales inquilini, ut explicat Scotus *d. lib. 4. cap. 15. §. 3.* & ante *lib. 2. cap. 40.* ubi examinat suffitum jecoris piscis, quo Tobias fugavit dæmonem, juxta S. Raphaelis instructionem; eumque vult habuisse virtutem moralem; quatenus nimirum excitato illo fumo, Angelus apprehendit Dæmonem, abduxit, & ligavit; & sic ex institutione ejusdem Angeli fumus ille positus fuit tanquam signum, ad abiciendum, & ligandum dæmonem, quod placet Celadæ in *cap. 6. Tobie d. §. 233.*

His ita constitutis, deveniendo ad resolutionem propositi casus duas reperi contrarias opiniones

scribentium. Una negativa, docens nunquam esse licitam fictionem in Venerabili Sacramento Eucharistiæ, quod est Sacramentum veritatis *cap. 34. De homine. De Celebrat. Missar.* quia dare Hostiam non consecratam credenti recipere consecratam, est inducere illum in idololatriam; quia adorat tanquam Deum panem purum; & ita sentiunt, etsi in aliis terminis, videlicet de publico peccatore decipiendo; qui indignè vellet communicare, Suarez de *Euchar. disp. 67. sect. 4. Pax Jordan. tom. 1. lib. 2. num. 82.* Reginal. *lib. 29. num. 49.* & alii apud Dianam *p. 4. tract. 4. resol. 47.* posita in opere Coordinato *tom. 2. tract. 2. resol. 31.* & novissime Franc. de Lugo *lib. 1. de Sacram. cap. 6. q. 11. num. 62.* Altera opinio affirmans tenet, ob aliquam justam causam licitam esse hujusmodi fictionem in exhibenda Eucharistia, quemadmodum Sacerdotes frequenter fingunt absolvere poenitentem, quem reperiunt non bene dispositum, ad tollendum scandalum inter adstantes; & quo ad periculum idololatriæ, cum ea sit materialistantum, potest indirectè permitti, & huic sententiæ adhærent Altiſiodorensis, Villalobos, & Ludovicus de S. Joanne, quos citat & approbat ipse Diana *cit. tom. 2. tract. 2. resol. 31.*

Sed ultia horum auctoritatem Doctorum tria reperio exempla suadentia licitam fictionem in casu proposito. Primum desumptum ex Joanne Herolto narratur à Joanne Bapt. Matthæoli Parocho Romano *p. 2. Sylva Historialis lib. 8. cap. 2. tit. 3. exemplo 4.* exhibitam scilicet fuisse particulam non consecratam cuidam energumeno, à quo fuit dentibus comminuta; sed eidem data Eucharistia, spiritus immundus pavens, & tremens ex energumeno exivit. Alterum exemplum habetur apud Joannem Sancium in *selectis disput. 26. sub num. 5. Vers. & favet*, ubi refertur de puero novem annorum, qui cum in articulo mortis Eucharistiam sibi porrigi postularet instanter, Sacerdos tamen judicans non esse tutum illi ministrare, ei Hostiam non consecratam detulit. At puer statim clamans dixit: quare me decipere vultis? quo cognito à Sacerdote, intelligente à Spiritu Sancto fuisse edoctum, Corpus Christi suscipiendum afferens, puero dedit; illudque devotè, ac sanctè puer recepit. Hæc cibi Sanctius ex *promptuario discip. litt. E. exempl. 26.* Sed responderi potest hæc bona fide, ac pia voluntate tunc fuisse facta. At non scientia, & prudentia imitabili. Ita Philosophor & ego. Sed quid ad sequens tertium exemplum magni ponderis, Roma, à Viro Sancto, ex consilio Virorum pietate, prudentia, scientia, ac auctoritate pollentium? Rem brevi perstringam. Ursula Benincasa, Virgo Deo devota, nata Neapoli Anno 1547. die 28. Octobris, divina charitate succensa, inter ceteras supernaturales gratias, miris ecstasibus donabatur, in quibus tanto pondere eam flegebat Spiritus sanctus, ut Virgo Christi immobilis permaneret, imò brachia ejus, aliquando in raptu extensa, gravissima pondera à Religiosis viris apposita, sustentarent Anno 1582. sic Deo jubente Romam venit ad summum Pontificem Gregorium XIII. cui post plures ecstases in ejus conspectu habitas, reverenter exposuit, Majestatem Divinam ob peccata totius Christianitatis nimis esse offensam, ac ubique flagella versari paratam nisi fidelis populus ageret poenitentiam. Hinc volens Papa certificari, an Virgo illa verè à Deo ecstases haberet, vel à dæmone deciperetur, selectis piis ac doctis viris, inter quos fuit Sanctus Phi-

Philippus Neri tunc Romæ vivens; præcepit, ut spiritus ejusdem Ursulæ experimentum fumerent. Humiliationum, mortificationum, jejuniorum, aliarumque pœnalitatum rigida ei injunxerunt exercitia, quæ omnia patienter, ac lætenter famula Dei perpessa est; cœlestis dono semper à Deo illustrata. Tandem per eosdem egregios, prudentes, ac sanctos viros eventum fuit ad hoc ultimum experimentum: videlicet cum longa inedia cœlestis Convivii Ursulam affecissent, ac ipsa Eucharistico pane recreari postularet, eidem intimarunt, ut pro die crastina se præpararet ad Sacram Communionem; cujus loco ei detulerunt particulam non consecratam; at illa divinitus id agnoscens, ait: *Non est hic Dominus meus JESUS CHRISTUS*. Quo audito S. Philippus in lacrimas cum aliis erupit; & omnes concluderunt Ursulam esse charam Deo; & Divino spiritu repletam; eique statim Sacram Eucharistiam præbuerunt. Ita in ejus Vita cap. 19. & in admirand. Orbis Christiani tom. 2. lib. 3. cap. 3. §. 3. num. 14. Bonifacius Bagatta. Igitur dicendum videtur, non esse illicitam fictionem in nostro casu proposito, quam etiam ad experiendam veritatem, si Monialis diceret se sola Communione Sacra vivere, absque alio corporali cibo censet admittendam Pellizzar. de Monialib. cap. 10. num. 159. Vers. Utrum verò.

Prima opinio primum locum obtinere debet; non enim passim, ut pro re levī; & ubi alia supperunt remedia, ad hanc fictionem est deveniendum. Porro, ubi ageretur de re magni momenti, & factis omnibus aliis experimentis adhuc esset ambigua cognitio, bonusne, an malus esset spiritus mulieris? cum consilio piorum, ac prudentium virorum, & cum superiorum assensu, cautè ad evitandum scandalum in populo, crederem fictionem prædictam non esse illicitam juxta exemplum Venerabilis Ursulæ Benincasæ.

DECISIONIS LI.

Ad Mensis Novemb. primum Quæstum.

ARGUMENTUM.

Quæritur, quæ necessaria sint ad licitam Eucharistiæ perceptionem? & docetur, quatuor requiri in suscipiente Fidem; voluntatem suscipiendi Statum gratiæ, non ex sola contritione, sed præmissa Sacramentali confessione, exceptis tribus casibus hic notatis; & Devotionem. Quæ omnia juxta sacrorum Theologorum doctrinam roborantur.

SUMMARIUM.

- 1 Eucharistiæ verum Sacramentum etiam peccatores recipiunt; sed non licitè.
- 2 Eucharistiæ licita receptio requirit quatuor dispositiones. Et quæ?
- 3 Fides habitualis non sufficit, sed requiritur actualis ad Communionem.
- 4 Phræneticis, & amentibus quando possit dari Eucharistiæ?
- 5 Parochi peccant non instruendo rusticos, & idiotas de veritate Eucharistiæ.
- 6 Confessio peccati mortalis est præmittenda Communioni.

7 Contritio ad communicandum sufficit absque Confessione in tribus casibus.

8 Eucharistiam sumens, qui est in peccato mortali, committit sacrilegium.

9 Venialia peccata habens, & Eucharistiam sumens, an peccet venialiter?

10 Devotio requiritur in Communicante; Et quid ea sit?

QUÆSITUM PRIMUM.

Quæ dispositiones ex parte animæ requirantur in suscipiente Eucharistiam, ad consequendos effectus supra recensitos.

DICTUM fuit ad recipiendum validè tantum Eucharistiam, nullam requiri dispositionem, seu præparationem in anima recipientis; nam falsà est opinio illorum, qui dixerunt, quod dum Eucharistia tangitur à peccatore, aut sumitur, Christus statim recedat, canitenim Ecclesia Sumunt boni, sumunt mali: & Judæ indisposito fuit data vera Eucharistia, verumque Christi Corpus, & Sanguinem ipse recepit; & de fide est, quod quandiu perseverant species consecrata, perseverat Eucharistia; & à quoque accipiat etiam non dispositio, si perseverant species, validè Eucharistia percipitur. Porro ad licitè recipiendam, & ad consequendos mirabiles effectus expositos in primo, ac secundo quæsto superioris mensis Octobris; pro debita, & digna dispositione animæ requiruntur quatuor.

Primo requiritur fides; quia sine fide impossibile est placere Deo, Hebr. 11. & Glossa super illud 1. Cor. 11. qui manducat, & bibit indigne, ait, si desit fides, vel charitas, judicium sibi manducat, & bibit. Ratio est, nam Eucharistia est Sacramentum vivorum; sed vita spiritualis non datur in via sine fide, juxta illud: Justus autem meus ex fide vivit, Hebr. 10. 38. Et quidem fides debet esse actualis in suscipiente Eucharistiam; nec sufficit habitualis, opus est enim judicare Corpus Domini; id est discernere inter ipsum, & alios cibos; sed hæc judicatio, seu discretio fieri non potest per scientiam humanam aut solam fidem habitualement, quæ non est judicium, & assensus, sed inclinatio ad judicium, & assensum. Ergo requiritur in actu fides assentiens, & judicans in cibo illo esse Corpus Domini, & ideo de ea loquitur Ecclesia dicens: Quod non capis, quod non vides, animosa firmat fides, præter rerum ordinem. Et in Hymno: Pange lingua, ait: Etsi sensus deficit, ad firmandum cor sincerum sola fides sufficit.

Secundo requiritur in suscipiente voluntas suscipiendi hoc Sacramentum venerabile Eucharistiæ, quia si coactè, & ejus repugnante voluntate reciperet, nullum effectum reciperet; sufficit autem voluntas vel virtualis, vel habitualis recipiendi; id est phræneticis, vel amentibus, qui dum lucida habebant intervalla, Eucharistiam petierunt, dari potest. Tamburin. de Expedit. Commun. cap. 4. §. 1. n. 4. Em. Card. de Lauræa in 4. sent. tom. 1. disp. 25. de Euch. n. 122. & 123. ubi advertit prædictam voluntatem habere debere pro objecto sumendi Eucharistiam tanquam continentem Corpus Christi; quapropter non datur infantibus, vel perpetuo amentibus, quia hi non habent intellectum ad discernendum cibum spiritualement à cibo materiali, & per consequens non possunt habere voluntatem suscipiendi Eucharistiam tanquam continentem Corpus Christi. Hinc sequitur, peccare Parochos, qui non erudiunt suos rusticos, ac alios idiotas accedentes ad